

1747.

1. Beckmann, Guts Berhard und Beckmann, Otto David
Hoc est: Gedanken vom Reformiren des Rechts, wonit
die iher iustitia Wider - Vorlesung an angezen.
- 2^o Beckmann, Guts Berhard: De obligatione mandantis
erga mandatarium fines mandati excedentum.
- 3^o Beckmann, Otto David Haenius: De feudo ante
sab pacto deservente eto.
- 4^o Bochmerus, Dr. Samuel Fridericus: De legitima
cadaveris occisi sectione 25 Sept. 1747 - 1761.
5. Bochmerus, Guts Hennigus: Differentiam legatum
parorum et non parorum principiae inter quartile
legis fulcidice . . . explicabit.
6. Funckius, Joannes: De cunnenagis communi operari
motu et aua,

8. Thonrius, Carolus Gallus: Neco, quod justum est
Secundum observantiam Coloniensem circa jas gabella -
rum.
9. Langius, Janus Frackinus: De docta librorum notitia
10. Langius, Janus Frackinus: De elegantiori eruditione
facultates animae superiores egregie argente
- 11^{4. t} Nekelblatt, Daniel: De coronatione ejusque effectu
inter gentes. 2 fasc.
12. Pauli, Carolus Tristriacus: De iure principis circa res
nullius in genere, et in specie regis Bassorum
Circa res nullius in Boemia.
- 13^{1. t} Renter, Johanna Hartrich: De arrha, pacts imper-
fecta, data. 2 fasc.
- [14. Ursinus, Thaddeus Christopherus, de ad. h. t. Pro-rector:
ad eius equales honores ... Martinus Schmiedlein - -

entnommen für Variationsprozesse an cives . . . inserit
[Nr. 14 ist des Fol.-Formats wegen entnommen und]
separat eingestellt.]

22 38

DE
ARRHA,
PACTO IMPERFECTO,
DATA

INDVLTV

ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS

PRO

GRADV DOCTORIS

AD DIEM XXX. SEPTEMBR. MDCCXLVII.

DISSERET

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

IOANNES HARTWICH REVTER,

MEGAPOLITANVS.



HALAE MAGDEBURG. FORMIS HENDELIANIS. 6)

38

DE

A R Y H A
PAGTO IMPERIECTO
DATA

INDIVITA
ILLUSTRA TURCICA ET ORBIS
ORDINIS

EX

C R A Y D V D O C T O R I S

AD DILECTISSIMOS SIBI FIDELIAV
MOSCOWIAV

1680

COPIA VITAE ET MIRABILIA

ИСАИИ СИГИЗМОНДИ

МОСКОВИЯ

САНКТ ПЕТЕРБУРГ 1798 ГОДА ИЗДАНИЕ



S. I.

Quae inter pacientes acta sunt, obligationi *pactum per-*
ciuli producdae vel sufficiunt, vel mi-*fectum* &
nus. Si illud: *pactum perfectum*: Sin hoc,
imperfe-
fectum pactum adest. Posterior, vel
quoniam unum alterum eius substantiale
adhuic deest, vel quantumvis omnia quidem eiusdem sub-
stantialia obvia sunt, leges tamet cives obligationem ex
eo tantum non imperfectam oriri vetant, locum sibi vin-
dicare, ad intelligendum haud difficile est.

Pacto in iure nostro duplēm tribui significatum: alium la-
torem, quo a contractu non nisi, vi genus a specie differt: ali-
um strictiorem, vbi contractu. vt specie species opponitur, nec
dupondii ignorant. Quum, quaenam iura atque obligationes ex
arrhae datione pacto imperfecto adcedente resultant, generatim
ostendere animus ferat: posteriorēm pacti significatū non abs re
ab hoc loco exsulare jubemus. Pacti substantialia ICris eadem
esse, quae Philosophis essentialia adque adtributa, quelibet adeo
eius praedicata immutabili suo ambitu complecti, vel exinde, quod
accidentalibus aequē naturalibus eiusdem opponantur, quorum
illa pactorum modos temporarios, hacc vero, me iudice, perpe-
tuos

A

tuos constituant, liquet. l. 72. de contr. emt. l. n. §. n. in. f. d.
A. E. V. l. 7. §. 5. de pacl. Substantialia vero pacl generatim
spectati in duorum pluriumue in idem placitum consensu de re soluenda,
quae definitio quod maximam partem legalis est l. 1. §. 2. de
pacl. ad vnum omnia consistere, tantum non omnium DD. calculo
probatur. Verum enim vero, si dicendum, quod res est, potior
est ratio eorum, qui pacl substancialiam, quam vocant, in
promisso efficaciter h. e. durante alterius voluntate acceptato quaerunt.
Sed diutius huic rei immorari, quam iam alii sic satis perorarunt,
ad rem nihil admittet. Id vero, quin leui saltim brachio
adtingam, non possum, paclum interdum in iure tum denum
perfectum dici, quum cum consummato aut adimplero pari passu
ambulant. Dicitur autem paclum *adimpleri*, vbi actu praefatur,
quod in eius obligatione est. Paclum ceteroquin tum *perficere*
dicimus, quum efficimus, ut omnia eiusdem substantialia adsint.
Adcedit in emtione venditionis contractu alias adhuc termini paclii
imperfecti sensus. Quia quidem in doctrina, quam varie sumatur,
videre est in r. t. C. *Quand. lit. ab. emt. reced.* l. 2. §. 1. de contr.
emt. l. 8. pr. de per. & comm. rei vend. l. 5. §. 1. de rescind. vend.
Paclum ceterum imperfectum vel ex natura negotii, vel conventione
partium tale esse, atque ad ultimam eiusdem speciem pertinere,
si partes ex contractu aliquo perfecto ante obligari nolint,
quam in scripturam fuerit redactus, vel me non monente facilissimo
negocio intelligitur. Neque minus vel leuiter saltim adtentanti,
paclum imperfectum atque nudum, obligationem quippe
ciuilem producens inter se discrepare, obcurum esse nequit.

§. II.

Ex pacto imperfecto nulla actio Si quod negotium sumitur, ex quo nulla obligatio perfecta,
eademque respondens ius oritur, ius ad obligacionem praestandam cogendi esse connexum frustra dixeris.
& exceptio nasceretur. Quare *ex pacto imperfecto neque actio neque exceptio nascetur*. (§. praec.)

§. III.

§. III.

Pactum cum altero initurus dum sese obligandi, si *Quid tractatur?*
 bique acquirendi animum habeat, idem illud utique e re
 sua aestimat. Commodorum igitur atque incommodorum,
 quae cum pacto celebrando connexa sint, pensatio praecedit,
 necesse est. Quae quum deliberatio sit, eaque vel
 ab una vel ab utraque in unicem parte institui queat; delibera-
 ratio de pacto quodam ineundo vel mutua est, vel mi-
 nus. Deliberationes mutuae de pacto quodam celebrando
 nomine *tractatum insigniuntur.*

Commoda atque incommoda cum pacto ineundo connexa
 ex eo; quod alteri alter praestiturus, conligenda sunt. Tractatus
 igitur initurus incumbere, ut, quas sibi praestare velint, propo-
 nant, in aprico est. Ceterum in explicatione tractatum determina-
 nationem de liberationis mutuae, quam quosdam insuper habere
 memini, non sine ratione, opinor, addidi. Quorus enim quis-
 que Titium commoda, si Sempronii aedes emturus sit, ad incom-
 moda hoc cum contractu connexa exigentem iam cum Sempronio
 huius propositi ignaro in tractatibus esse dixerit? quamvis secum
 de contractu ineundo deliberasse nemo inficias iuerit.

§. IV.

Tractatus non sunt, nisi de pacto ineundo mutuae *Si partes in*
 deliberationes (§. praec.): Qui de negotio aliquo susci- *tractatibus*
 piendo deliberat, quid utilitatis atque commodi, quid *subsistunt*,
 vero incommodi ex eo in eum redundaturum sit, expen- *pactum in*
 dit, (§. cit.). Qui vero rationes suas ita subducit, neque *eundum im-*
 promittit, neque in promissum efficaciter consentit neque *perfectum*
 adeo promissum adcepit. (§. I. Schol.). *Quamdiu* igitur
partes in tractatibus subsistunt, pactum ineundum adhuc
imperfectum est. (§. I.)

Videlicet Perillus, huius Academiae Cancell. L. B. a WOLFE. P.
 V. I. N. §. 908. Quum autem pactum, quod imperfectum,
 nomen pacti haud mercatur, ratio fugit eos, qui tractatus dicunt
 A 2 *pacta*

pacta contractuum ineundorum praeparatoria, nisi, quod terminus complexus ex simplicibus iudicandus non est, eorum doctrinam excusas. Par iure & ii censuram merentur, qui a pacto de contrahendo v. c. mutuo dando, permutando &c. quod ab ipso contractu diuersum, pactum interdum perfectum, quantumvis nudum inuoluit, non satis distinguunt tractatus.

§. V.

*Ex tractati-
bus initis ne-
que actio ne-
que exceptio oriunda est* (§. II.)

Inuita igitur licet altera parte tractantibus semper tractatus abrumpere integrum est, quod innuit vulgatum illud; *Tractaten sind keine Contrachten.*

§. VI.

*Sponsalia de
iure Rom.
sunt pacta
imperfecta.* Quum de iure romano sponsalibus externa nulla vis atque obligatio inest, neque vlla ex iis actio datur, quantumvis stipulatione firmatis, aut poena in stipulatum deducta. *I. 2. §. I. 2. de diuort. I. 134. pr. de V. O. I. 1. C. de sposi. I. 2. C. de repud. I. 2. C. de inutil. stipul.* *Sponsalia de iure romano non esse nisi pacta imperfecta,* manifestum est (§. I.).

Quod tamen hodie secus esse, ad liquidum deduxit *Perillust.* *Ducat. Magdeb. Cancellarius BÖHMERVS, ICtorum princeps,* quem communem praecoptorem deuota mente deueneramus, *I. E. P. L. IV. t. I. §. LII. seq.* Hisce praelatis iam ipsam artharum doctrinam adgredior.

§. VII.

*Quid sit da-
re* in genere dicimus, si possessionem alicuius rei in aliquem transferimus. Qua quidem cum translatione vel iura, quae in illa re habemus, simul transferuntur vel minus. Illo in casu translatio in specie *datio* dicitur. *I. 75. §. vlt. de V. O.*

§. VIII.

§. 12.

VIII. de arrhae nomine.

Si qua res in signum eius, quod perfectionem pacti concernit, datur, generali *arrhae* nomine illa venit. Quo quidem casu pactum vel perfectum, vel imperfectum est. Si prius; res data dicitur *arrha*, *pacto perfecto*, *perfectio data*: sin posterius, res vel ita datur, ut partes aut pactum, cuius causa datur, adimpleant, aut eius dispendium incurvant, vel minus. Priori casu res *arrha*, *imperfecto pacto*, *data* audit.

Sic arrhae, perfecto pacto, datae mentio fit in l. 35. pr. de. contr. emt. Vbi calvus: *Quod saepe arrhae nomine*, inquit, *pro emtione datur, non eo pertinet, quasi sine arrha conuentio nihil proficiat, sed vt evidenter probari possit, conuenisse de pretio*. In qua quidem lege 1) arrham non dari, ut per eam emtio venditio perficiatur, quum eriam sine arrha interueniente, quippe eius accidentaliter subsistat: 2) arrham dari ut de contractu inito evidenter constet, quae ab adsertis aliena non sunt, adserti, nemo, nisi qui qui talpa caecior, non videt. Idem eodem modo traditur pr. I. de emt. vend. vbi: *emtio venditio contrahitur simul atque de pretio conuenerit, quamvis nondum pretium numeratum sit ac ne arrha quidem data fuerit. Nam quod arrhae nomine datur, argumentum est emtioni et venditionis contractae*. Sed de hac arrhae specie nunc potissimum non quoaro. Arrhae vero, pacto imperfecto, datae sedem palmariam reperimus in cit. pr. I. de emt. vend. atque l. 17. C. de fide instr. cuius genuina explicatio infra subministrata est. Quo autem rectius arrham hoc modo datam intelligas, finge Caium aedes Sempronii emturmum, pretium mille thalerorum ei obtulisse, non nisi additis adhuc centum, vendituro. Emtione venditionem, dum confessus utrumque non accesserit, perfectam esse nemo dixerit. Sed sumas Caii huius contractus celebrationem permagni referre, adeo, ut, si modo se alibi meliorem conditionem non inuenturum certus esset, centum pretio oblato adde-

A 3

rer,

ret, contractumque adeo perficeret. Ne igitur Sempronius poenitentia deinde ductus, aut alii magis fauens a placitis resiliat, quid agendum erit Caio? Certe, quanti forsitan sua interest iudicat v. c. centum thaleros Sempronio, quos adcipiat, osteret, quo ipso Sempronius adcipliens, si pro mille & centum deinceps vendere derrectaret, dispendium eorum incurret. Sempronius cuius ex re non minus est, contractum celebrari pro oblato pretio statim venditurus, nisi melioris fortis spes, quam eum non frustraturam tantum non confidit, aliunde adulteret, interea oblatis centum thaleros, quanti quidem & sua interesse aestimat, eum in finem adcepit, vt si post modum perficeret velit contractum, partem pretii, circa quam adhuc dissentiebant remittendo, Caius, nisi iactura eius, quod dedit, magis adrideat, oblatum pretium soluat. Ex quo negotio celebrato, rem eum in finem contractu adhuc imperfecto datam esse, vt, si alteri contrahentium contractum posse perficere placuerit, alter sub eius dispendio placitis statim tenetur, abunde constat. Quam rem datam arrhae, pacto imperfecto, datae, cuius abstractiorem non sine tamen ratione suppeditauit definitionem, speciem esse, nemo non videt. Eam ob causam autem casum singularem subministrandum dum, quoniam non nihil difficultatis res habere solet, quam abstractam in concrecis distinguere curae nobis est cordique. Ceterum conceptum huius arrhae LL. satis esse concinnum, ex cit. pr. I. de emt. & l. 27. C. de fid. insr. simul adparebit, atque ad exactiorem horum textuum explicationem euadum exegeris. THOMASIVS equidem in diff. de arribis emtionum, ne nodum in scirpo quaeramus, nullum suppeditare satius esse duxit. Sic enim ille l. c. §. 78. datio, inquit, arrharum varia est, & varios modos habet. Haec vero difficillime definitur. Porro datio arrharum & modi diuersi dandi magis in sensu incurunt. At quae sensibus percipiuntur, definitionibus magis obscurantur, quam illustrantur, quod vel exemplo motu eiusque definitionis sue Aristotelicae sive Cartesiana patet. Multus esse possem in taxandis aliorum de hac re datis definitionibus, si bonas horas hac re parum vili perdere vellem. Id saltem adhuc, quin moneam non possum, maximam partem arrham simpliciter & sine

& sine additamento positam in LL. occurrere, adeoque non, nisi ex contextu statuendum, virum arrha perfecto, an imperfecto pacto, data intelligenda sit. Quod ipsum ideo mirum non est, quosdam iuris interpres in transuersum egisse. Hoc quidem loco quum de arrha, pacto imperfecto, data solum agere institutum ferat, arrha simpliciter posita, semper, quae dicta, intelligenda est. Licit denique particulae disimilitudinæ in definitione occurrant adeoque illa per inferiora formata videatur, tamen regularum definiendi gnarus nemo huius vitiæ eandem insimulabit. Dispensum vero arrhae fecisse hoc loco non modo is dicendus est, qui rem datam perdere, sed etiam qui tantumdem cum accepta restituere teneatur.

§. IX.

Quum igitur, tractibus tantum initis, pactum etiamnum imperfectum sit (§. IV.): idemque de iure romano de sponsalibus ipsis, multoque adeo magis de tractibus sponsalitiis dicendum veriat (§. VI.); *Arrha*, quae tractibus, siue sponsalitiis siue minus initis, atque sponsalibus celebratis cum in finem datur, ut aut placitis stetur, aut arrhae dispensum obtineat: est arrha, pacto imperfecto, data. (§. VIII.).

§. X.

Exinde sequentes manifestae sunt arrhae diuisiones. Arrha enim, si datur vel omnia iam iam pacti, quae habere potest, adsumt substantialia, vel desunt adhuc quaedam. Illo in casu arrha dicitur *non-vulgaris*: quae in hoc casu *vulgaris* appellatur. Porro pactum imperfectum, cui arrha accedit, vel sponsalia respicit, vel minus. Priore in casu arrha sponsalitia audit, posteriori vero *non-sponsalitia* nomine insignitur. Quas quidem arrhae species, quum idearum coordinatarum e numero sint, de se inuicem praedicari posse, non est, quod inculcem.

Res, quae tractibus initis atque sponsalibus celebratis datur ut placitis stetur, aut arrhae dispensum obtineat est arrha, pacto imperfecto, data.

Quid arrha vulgaris & non-vulgaris? sponsalitia & non sponsalitia?

Ter-

Termini arrhae vulgaris & minus vulgaris neque in iure fateor, obui sunt, neque scriptis DD. frequentantur. Verum, quum ipsa negotia re suaque natura diversa diuersa nomina postulent, quod nos terminos considerim, id quidem nemo, puto, vitio mili dare poterit. Interca speciarum de arrha sponsalitiae, quam iam alii otium mihi hac in re fecerint, hic iam non ago, neque lites circa eandem a DD. passim motas meas hic facere lubet.

§. XI.

Vterque pacientium arrham dare potest?

Vterque pacientium arrham dare potest. Etenim is, cuius interest, ne a placitis recedatur, arrham dare potest (§. VIII. & Schol.). Enim uero vtriusque interdum pacientium, ne a placitis alter reficiat, refert: vterque ergo pacientium, quo minus arrham dare possit, nihil obstat.

Quamuis igitur nulla iuris regula aduersante vterque pacientium arrham dare possit, negantum tamen non est, semper fere in LL. easum proponi, quo non venditor, sed emtor, sponsus non sponsa &c. arrham dedit. Quod ipsum anfa in contraria omnia abeundi quibusdam fuit.

§. XII.

Quid arrha reciproca & non reciproca?

Quum itaque vtrumque pacientium arrham dare, non repugnet (§. XI.); sequentem in modum recte arrham dispesci posse palam est. Arrhae enim datio vel in uno eodemque pacto ab vtraque parte intercedit, vel minus. Priori in casu arrha dicitur *reciproca seu mutua*, posteriori vero *non-reciproca* audit. Ex quibus quidem circa pulueris iactum intelligimus, si arrha reciproca interuenit, *vtramque contrahentium partem & rem arrhae nomine idare, simulque eodem nomine rem accipere.*

An vero & quatenus arrhae reciprocae locus relinquatur, dissona DD. est sententia cui quidem licet, dum principia hactenus stabilita nondum sufficient dirimenda, vberior infra eiusdem instituenda erit disquisitio.

§. XII.

§. XIII.

Si de qua re in casum non expletae ocligationis iam *Quid poena*
dum existentis praestanda conuenit, illa res *ponae conuenientia-*
nomine insignitur. l. 71. pro soc. l. 28. 47. de Act. nalis?
Eant vend. l. 38. §. 17. dee V. O. l. 14. C. de paet. &c. Un-
de poeniconventionalis subsistit, quantumuis res saltim pro-
missa est cit. leg. 38. §. 17. de V. O.

§. XIV.

Quum itaque arrha non subsistat, nisi data fuerit (§. *Ab arrha*
VIII.); poenae conventionalis vero quantumuis nude sal
tim promissa, adeoque non data fuerit, omnino valeat
(§. XIII.); *Arrha a poena conventionali diuersa est.*

Inter arrham & poenam conuentionalem & illud intercedit dis-
crimen, quod poena conventionalis obligationem actu iam exi-
stentem supponat, quod saltim in arrha vulgari secus est. Dein-
de omnis omnino obligatio ex arrhae datione oriunda disiunctiva
est (§. VIII.), quae tamen poena conventionali tantum non sem-
per inhaeret.

§. XV.

Arrha, si qua datur, obligationem producit (§. VIII.), *Quid pa-*
qua ob*ligatio*, quum non nisi a pacto profiscatur; inde *Etum arrha-*
pacto opus est, quo arrha constituitur. Pactum, quo *le? pactum*
arrha constituitur, arrhale vocatur in l. 3. C. de Act. emt. *principale*
& v. n. *C VIACIVS* vero II. Obj. c. 17. idem pactum *& minus*
contraetum arrhabonomicum adpellitat. Duplex igitur pactum,
quod arrham concernit, distinguendum omnino est: Pa-
ctum nimirum, cui arrha adcedit, & pactum quo eadem
constituitur. Prius pactum *principale*: posterius respectu
pri*r's minus principale* audit. *Pactum principale* igitur
*in*n*erfectum*** (§. VIII.) *Minus principale* vero *perfectum* est.
(§. I.).

B

§. XVI.

§. XVI.

Pactum arrhale non efficit, ut ex pacto principali qua tali villa aut exceptio oriatur?

Pactum arrhale est pactum legitimum.

Pactum arrhale est pactum legitimum.

Quum igitur pactum arrhale qua tale substantiam paeti principalis non mutet (§. XV.); Neque sane, si quid video, ut ex pacto principali qua tali villa aut exceptio oriatur, efficit. (§. II.).

§. XVII.

Pactum arrhale est pactum legitimum.

Pactum arrhale est pactum legitimum.

Pactum arrhale est pactum legitimum.

le sit, si fieri potest contractus. Tum aut verus erit, aut quasi contractus. Non est quasi contractus. Vero enim a dante atqne adcipiente interposito consensu neutiquam factio nititur. (§. VIII. XV.). Forsan ergo erit verus contractus. Nominatus igitur, aut innominatus contractus sit, necesse est. Sit nominatus, adeoque erit, vel consensualis, consequenter aut emtio venditio, aut locatio conductio, aut emphyteusis, aut societas, aut mandatum; sed neuter ex his pacto arrhali conuenit (§. XV.); Vel verbalis, sed nulla ad pactum arrhale requiruntur verba solemnia: Vel literalis: sed nullam ex literis hoc pactum capit substaatiā: Vel realis; Non autem est muruum, neque commodatum, neque pignus, neque depositum. Exgo non est contractus nominatus. Si igitur, si fieri potest, innominatus. Maximam equidem cum hoc genus contractibus conuenientiam eo cum intercedere videatur, quoniam dum arrha, nisi data, non obtinet, pactum arrhale a parte dantis, non vero a parte adcipientis, nondum aut arrham perdentis, aut pactum principale adimplentis, in quo quippe implementum huius paeti ab altera parte consistit, impletum sit. Verum enim quum horum contractuum indeoles sit, ut poenitentiae dantis locus detur, nunquam existaret casus, quo inuitus aut pactum adimplere, aut arrhae iacturam facere teneretur.

Quod

Quod quum fini arrhae dationis repugnet (§. XV. VIII.); contractuum innominatorum in numerum frusta pactum arrhale recipitur. Neque quoque pertinet ad contractus innominatos, quos, quo iure viderint alii, irregulares vocant. Quae enim conuenientia ei cum aestimatorio contractu atque permutatione est? Quum vero iure romano certus atque determinatus numerus pactorum, cui plena indita vis obligandi sit, atque contractuum: pactum arrhale vero ad contractus non pertineat, vt reliquis partibus a contractibus diuersis, non quidem, dum actionem producat, nudis, sed vestitis adnumeretur oportebit. Sed quum neque vim obligandi praetori acceptam ferat, neque, dum contractus principalis imperfectus (§. XV.) nullamque ex eo actionem aut exceptionem producere possit (§. II.), contractus adcessorium sit; Reliquum est, vt pactum arrhale pro legitimo pacto habeamus.

Difficile est, fateor, in quoniam pacta legitima & contractus inter se discrepant, ostendere. Venum quum vberiori in ff. haec res relinquenda sit disquisitioni, hoc loco eandem nihil moror. Interea, dum pacta legitima arque contractus actionem tam pariant, quam exceptionem, quoad hunc effectum diuersam nullam superesse rationem ex facili do atque largior. Ceterum adferto obstante videtur l. 17. C. de fid. in r. vbi; Contractus venditionum vel permutationum, vel donationum, quos intimari non est necessarium, dationis etiam arrharum, vel alterius cuiuscunque causae, quos tamen in scriptis fieri placuit &c. Enimvero res redire videretur ad acquiuocacionem termini contractus qui interdum ita late sumitur vt omnes sub se comprehendat conuenientes, ex quibus obligatio pariter arque ius quoddam nascitur l. 20. de iud. l. 23. de R. I. quid mirum igitur si sub contractu hoc significatur sumto pacta legitima, qualia quoque donationum sunt, comprehendendi videoas? Maxime ceteroquin de hac quaestione sententiarum diuertia occurunt. Dantur enim, qui pactum arrhale contra-

Eius, alii hoc supposito, veris, alii quasi contractibus, atque
 primo casu nominatis alii, alii innominatis adnumerant. Adpo-
 sitre sane & magis ad rem videntur, quae HVNNIUS ad Treutl.
 d:sp. de emt. tb: 8. lit. B. qu. 5z. non sine ingenii adparatu euincit.
 Sic enim ille: *Mibi, inquit, itaque verior haec ratio esse videtur,*
quod arrbarum datio consensum ac conuentione, quae ad omnem
desideratur contractum, in se contineat, inter dantem & adcipien-
tem arrbas hoc conuenisse censetur, ut ad ciplens eas habeas & reti-
neat usque dum a dante contractus fuerit perfectus, aut completus
& si is perficere aut completere contractum recusat, tum arrbas per-
dat; Si vero adcipiens a conuentione resisterit, tum duplicates red-
 dat: Sed praeter conuentione hanc arrha etiam synallagma, quod
 constituit contractum continet, dationem videlicet ut quid fiat, sy-
 nallagma esse, testatus Iustinianus in l. 7. s. 2. de pac*t.* verum
 qui neruum demonstrationis tenet, neque ambiguum contractus
 sensum ignarissimi, adseritionem hanc non sine specie adstru-
 etam non morabitur, LAVTERBACHIVS equidem disert. de
 arrha thes. XV. non quidem eundem, quem commodum notauit,
 errorem errat, negans quippe pactum arrhale esse contractum, siue
 nominatum, siue innominatum. Verum subleita sequenti argu-
 mentatione eiusdem nixit sententia; *Vbicunque non ab initio o adest*
verus contrahendi & obligationem constituendi consensus, ibi non est
contractus verus. Atqui in arrhae datione talis consensus non do-
 prehenditur. Quod quidem adsumptum vterius probare pergit:
Ipsi qui arrbam dant atque adcipiant, regulariter hoc expresse non
agunt, ut bac ipsa arrhae datione & adcepitatione inter ipsos obli-
gatio contrabatur; sed illud potius, ut obligatio emtione vel simili
negotio contracta aut contrahenda evidenter probetur & res data
symbolum fit ac argumentum negotii contracti. Deinde pari modo
 non stringunt, quae loc cit. tb. CVII. habentur: *Pactum enim*
arrhale, si contractus esse deberet, aut esset, dicit, contractus
innominatus, aut nominatus. Et recte quidem. Verum idem
 ideo esse non posse innominatum contractum, quod actio prae-
 scripsis verbis ex eodem oriunda in iure inaudita sit, consequen-
 tiam non video. Non refragetur modo principiis iuris, quod ta-
 men

men supra euictum dedi, & statim hanc actionem eci porisma inferre erubescendum non foret ICto, iamiam sine lege loquenti. Ipsum tamen obligationis ex arrhae datione resultatis, quam iam concedit, in eo, quod extra id, quod vere ab initio agitur, partim in praefumta partium conventione, partim ipsa legis dispositione, nequitquam vero in vero illarum arque ab initio declarato consensu sibi deprehendere videtur. Sed quum vere ab initio id inter partes agatur, ut obligatio ex arrhae datione resultans adsit, (§. XV. VIII.) primum sane huius fundamenti momentum non potest non in auras abire. Praefumta vero conuentione obligationem arrhaem produci, non magis verum est, quam, si quamlibet pactitiam obligationem ex praefumta partium conventione derives. Omnis denique omnino oriunda est obligatio ex legis dispositione, vel mediata, atque quoad hanc obligationem concedo, vel immediata, atque idem nego atque pernego. Verum enim vero omnium conuentioneerum arque contractuum obligatio mediata a lege proficiscitur. THOMAS IV S loc. cit. f. 77. suam de hac resententiam reticuit, id interim inter eum atque LAVTERBACHI V M conuenit, quod pactum arrhale non sit contractus. Ulterius autem disquirere operae pretium ipsi non videtur, quum usus in foro sit nullius. Verum interpretem legum romanarum non decet, ad quam classem quolibet negotiorum pertineat, ignorare videri cum ignarissimis. Vnde prolixiorē hanc huius rei tractationem nemo vitio verterit.

§. XVIII.

Pacta legitima vel eius naturae sunt, vt ad eorum perfectionem nihil praeter consensum seu efficacem pro missi adceptionem opus; vel vt ad eorum perfectionem implementum praeterera ab una parte necessarium sit. Po sit? sterius haud inconcinnē *pactum legitimū reale* dicitur.

Determinationes pactis legitimis additae tantum abest ut eorum naturam euertere, ut eidem satis conformes videantur. Quum enim pacta legitima omnem vim obligandi *speciali* eidam *legi* acceptam ferant, quid impedit, quo minus praeter consensum leges

ges adhuc implementum ab yna parte ante requirant quam ipsi efficaciam tribuant. Neque yllum inde fluere videatur incommodum. Diuersum manet eiusmodi pactum legitimum quod re initur, a contractibus nominatis realibus, atque innominatis omnibus. Differentia equidem communii vntur. Sed eandem cum eo, cuius est differentia, non reciprocari constat. Nova equidem, quantum ego quidem adhuc scio, haec pactorum legitimorum diu sio est, faror: sed ea opus fuisse, sequentia insinuant. Neque ut in praediis urbanis, sic in nostri iuris studio, nealtius quis tollat, villo vnquam iure prodita est actio.

§. XIX.

Pactum arrhale est pactum legitimum. Quum igitur arrha nulla in toto nostro iure tribui actionem producendi vis videatur, nisi data fuerit (§. VIII.) l. 17. C. de fid. instr. pr. I. de emt. vend. l. 3 s. C. de spons. mun. rea.c. l. 11. s. 6. de act. emt. vend. consequens est, vt ad perfectionem pacti arrhalis implementum a parte dantis necessarium sit (§. I.). Nam vero pactum arrhale est pactum legitimum (§. XVII.). Pactum igitur arrhale esse pactum legitimum reale, immediata est consequentia. (§. XVIII.).

Quod idem non obscure in l. 17. C. de fid. instr. indicatur, vbi Imperator pactum arrhale nominat contractum arrhale dationis: indicio certe vero haud absimili, pactum arrhale re esse incundum.

§. XX.

Si arrha tantum permitta, non actionem product. Quare quum implementum a parte dantis non adcesserit, tunc quod idem est arrha reuera data fuerit, ante pactum arrhale celebratum non intelligitur. (§. XIX.). Quumque pactum ita vt dictum est, initum in alium contractum, pactumve vestitum non incidat: non enim numero est nisi nudorum pactorum. Si igitur arrha simpliciter tantum promissa non vero data ad exceptionem, non vero ad actionem prodest. l. 7. s. 4. de pact.

Meque

Neque igitur magis obligat, quam pactum de mutuo dando, commodando, permutoando &c. Ceterum circa quaestione propositam non vna DD. est sententia. Longum nimis forer, si dissentientium argumenta omnia subincudem reuocare vellem. Pleisque se se fundant in *L. f. C. ad L. Falc.* vbi in fine: *in utroque enim casu, siue soluerit, siue super hoc cautionem fecerit, aequitatis ratio similia suadere videtur.* Ex qua quidem sanctione generatim constare perhibent: dare atque promittere pari passu ambulare. Quoad eiusmodi equidem negotia quae ex rei traditione seu implemendo non capiunt substantiam, si ultra tertium comparationis non extendatur, concedo: quoad talia vero negotia, quae opposita ratione se habent, nego. De priori casu loquitor *cit. L. f. C. ad L. Falc.* ut itaque isti argumentationi, quae Baldi lucernam redolet, parum, aut, quae potior ratio est, nihil dandum veniat. Quod vero arrham promissam atque in stipulatum deducetam concernit, inter arrhas sponsalitatis & reliquas distingui vellem (§. X.). Prioris actione ex stipulatu pnti posse, vel me non monente, ad intelligendum facile est; posteriori vero casu, ne quid in fraudem legis committatur, caueamus. Primo in casu idem in casu haud absimili diserte rescriperunt **DIOCLETIANVS & MAXIMIANVS** in *L. 3. C. de rer. perm. vbi: Ex placito permutationis, nulla re sequuta, nemini actionem competere: nisi stipulatio subiecta ex verborum obligario quaeferit partibus actionem.*

§. XXI.

Ast moribus hodiernis ex iis pactis, quae iure romanis non nisi nuda sunt, aut condicō ex c. 1. X. de pact. *Quod moribus nostris aut condicō ex moribus conceditur.* Vid. *Perillus* s. *ficus est. Cancell. BOEHMER. in tr. de Act. S. 2. c. 7. §. 7 seqq.* Valide igitur ex pacto arriali actio institui potest; quantumuis a parte dantis implementum nondum adcesserit, siue quod idem est, arrha rite per pactum promissa nondum vero tradita actio peri potest.

Verum huic assertō cum **B. CARPTZOVIO** I. F. P. 2. *Conf. 33. def. 23. LAVIERBACHIVS loc. cit. thes. 104.* dicam scripsit, totam-

* * *

totamque quaestionem, an pacta nuda motibus nostris actionem pariant, distinctione absolvit, virum sint pacta contractuum praeparatoria v. c. de permutoando, nec ne. Arque in illo casu actionem ex eiusmodi pactis oriundam ex subiecta hac ratione negat, quod partes de contractu ineundo pacientes simul iudicent, quod eo pacto efficaciter obligare nolint; in hoc vero ex generali & ubique recepta consuetudine pacta nuda etiam obligationem efficacem producere faterur. Id interea negandum non est, de pactis, quae vocant, contractuum praeparatoriis consensualium, quatenus ab ipsis contractibus diversa sunt, aliud alio quamvis ex capite rationem omnino suadere. THOMASIVS loc. cit. §. 33. equidem pro eo, quem sibi de de arrha formauit conceptum, contra mores gentium pariter atque contra intentionem, ob quam arrhae datio inuenta est, arrhas saltim promittere, non vero simul tradere, esse sibi persuaderet. Licit curtem ipse inficias ire non possim arrham plerunque simul atque promittitur, tradi, statim tamen non sequuram traditionem, si a iure romano difesseris, fini huiusmodi pacti non refragari existimo. Arrhae enim finis est, ut placitis principalis sub arrharum dispendio stetur (§. VI. I.). Dispendium vero locum habere posse arrhae tam promissae, quam traditiae tam certum est, quam quod certissimum. Quamvis autem moribus nostris pactum, quo arrha solum promittitur, actionem aequa producat, ac Romanis patrum arrhale re initum, adeoque quoad hunc effectum nullum amplius super sit discri men; tamen aliunde digerentia quedam opinor, peii potest. Generatim nimurum notandum: contractus reales adhuc hodie a patribus quibus ab una parte implementum nondum adcesserit diuersos esse, non quatenus actionem producere valent, sed quatenus diuersa ex virisque oriunda est actio.

XXII.

Pactum arrhale bilaterale unilaterale quid? Ex pacto arrhali disimilativa obligatio oritur, ut nimirum aut placitis pacti principalis stetur, dispendium eius, quod arrhae nomine interuenit, obtineat. (§. XV. VIII.). Quae quidem obligatio ytrumque tenet pacientem vel alte-

alterutrum. Illo casu pæctum arrhale *bilaterale*: hoc vero *vnilaterale* nominatur. In pæcto igitur arrhali vterque tam *dans*, quam *accipiens* obstringitur. (§. XIX.) Quod in pæcto arrhali vnlaterali secus esse nemo non videt.

Sic in easu in Schol. ad §. VIII. proposito, quum non modo Caius, si Sempronius centum remiserit, verum etiam Sempronius, si Caius centum addiderit, emioni venditioni stare aut arrham interuenientem amittere teneantur; bilaterale inter eos pæctum arrhale celebratum esse, palam est. Sed finge Caium quidem, si Sempronius pro mille thaleris aedes suas venditurus est, sub dispense ardharum teneri non vero Sempronium, si Caius deinceps pro mille & centum emitorus est, pæctum arrhale celebratione non esse nisi vnlaterale manifestum est. Quamuis eidem dissisteri nequeam, Imperatori in l. 14. C. de fid. in rur. atque pr. l. de emt. vend. pæctum arrhale bilaterale obversatum esse, eundemque in casu arrhae interuenientis dispositio, dantem & accipientem teneri, licet specialiter adiectum non sit, quid super arrhis non procedente contractu fieri oporteat; nihil tamen exinde elicendum puto, quam quod hoc procedat, si arrhae simpliciter daretur, neiriquam vero pæctum arrhale inualidum sit, si inter partes unum sicut latus expresse se se ex pæcto arrhali obstrinxerit. Ceteroqui naturale pæcti arrhalis esse ut sit bilaterale ex facili do atque largior. Ceterum caue, pæctum, quo arrha reciproca constituitur, quod reuera duplex pæctum inuoluit, cum pæcto arrhali bilaterali confundas.

§. XXIII.

*Datae arrhae non-vulgaris dispensendum simul obtinet, Arrhae non-
atque alter obligatus pæctum principale adimplere sine iusta vulgaris
caussa recusat.* Etenim data arrha non vulgari, substantia dispensandum
obligatio, quae adesse possunt, omnia principalis pæcti iam
adsum. (§. X.). Enimvero efficere, ut omnia sub
obligatio, pæctum principale adimplere sine iusta vulgaris
caussa recusat.

C

ad



cipale adimplere recusat. ad §. I.). Non opus' igitur est, vt negotium principale ante perficiatur, quam quidem dispendio arrhae locus dari possit. Quum igitur ex pacto arrhalii disiunctiuia resulitet obligatio, aut ut alter obligatus pactum principale adimplere aut arrham perdere teneatur (§. VIII.) ideoque si quis obligationi adimplendi non stet, obligationem perdendi expleat necesse sit. Si vero iusta caussa, quare adimplere quis recusat, adest, caussa legibus probata subsit, quibus si alter conuenienter agat, obligationi contrauenisse dicendus haud sit; Datae arrhae non vulgari dispendium simul obtinere atque alter pactum principale adimplere sine caussa detrectat, in propositulo est.

§. XXIV.

Quod adimplatur ad arrham spon- salitiam non vulgarem. Quum igitur arrha sponsalitiae non - vulgaris sit, si tractatibus finitis ipsa sponsalia celebrata proponuntur (§. X.). Data sub hypothesi arrhae dispendium statim obtinet, atque refractarius matrimonium sine iusta tamen caussa innire recusat. (§. XXIII.).

Vide sis l. 5. C. de spons. &c. arrb. spons.

§. XXV.

Pacto principali imperfecto remanente, aut ad idem illud adimplentum, aut ad arrham perpendam nulla oriunda est obligatio. Data nimurum arrhae vulgari pacti principalis omnia nondum adiungunt substantialia (§. X.) sed ubi nondum omnia pacti adiungunt substantialia, nullum ius nullaque obligatio producitur. (§. I.). Ponas iam eum esse arrhae vulgaris effectum, vt remanente pacto principali imperfecto alter sub eiusdem dispendio illud adimplere teneatur. Quum pactum adimplatur, ubi quod in eius obligatione est, actu praestatur (§. I.

(§. I. Schol.); obligatio ex pacto principalis dato in casu oriunda utique concipienda est. Quod quum sit absurdum (per demonstr.); ad pactum principale adimplendum data sub hypothesi nulla est obligatio. Sed disiunctiva obligatio ex arrhae datione resultat, vt aut pactum adimplatur, aut non adimplens arrha cadat. (§. VIII.). Data igitur arrha vulgari, pacto principali imperfecto remanente, nulla ad illud aut implendum aut ad arrham perden-dam oriunda est obligatio.

Egregie igitur falluntur, qui a contractu imperfecto, quatali, partes resiliere posse, identidem adserunt si arrhis praestitit eadere volupē fuerit. Non igitur iniuria THOMASIVS loc. cit. meliora edocet, communī sententiae calculum denegauit. Dum enim l. c. f. 33. in pūrit. vtrum arrhae emtione imperfectae adcedere possint, nec ne, duplēcē proponit casum, quo emtio perfecta & imperfecta dici possit: ex natura nimirum negotii aut moribus gentium. & ex conuentione partium. Quibus praesup-positis neuro modo casum dabilem idem ille existimat. Vnde f. 38. loc. cit. ita calculum ponit: *Non priori: scilicet enim esset, qui in pacto de vendendo arrhas daret. Nam cui usui, vt alter pa-tētum seruet? quod nullum effectum habet. Ut arrha interesse aesti-met quod nullum subest. Ut arrhas frustra perdant, & sine causa? quod insani hominis est. Non posteriori, dum enim partes ideo vo-lunt emtione in scriptis celebrari, vt antea non obligentur, ridicu-lum esset, si velint simul arrhas dare, vt obligentur. Dum ante scripturam volunt, sibi licentiam impune poenitendi sibi referuare, contradictorium foret, si vellet arrhas dare, vt non impune rece-dere possent. Igitur utroque casu emtione perfectae adcedat arrhae datio necesse est, sive non scriptae, si non concuerit, vt emtio in scriptis celebretur, sive scriptae, si hoc pactum adiectum sit. E. emtioni tantam perfectae adcedit; Quin rebus suis ita fidit, vt solemne iudit: Q. E. D. argumentationi subiictere non dubi-tet. Quum autem in eo omnino non fallat, quod arrhae datae,*

C 2

pacto

* * *

pacto principale remanente imperfecto eum effectum inesse negat, quem supra eidem tribui; inanem tamen omnem arrhae dationem imperfecto pacto adcedentem exinde inferentem eum rationem fugere, infra eluceat. Interea me saltim loqui, de casu, quo ius eligendi in obligatione alternativa penes obligatum esse debet, quod LL. supponunt, eo magis non possum, quo frustram esse hancce quaestione in casu opposito nemo non vider.

§. XXVI.

Pacto principali imperfecto remanente arrha data danti restituenda est.

Quum igitur data arrha vulgaris, pacto principali imperfecto remanente, ne quidem arrhae dispendio locus detur (§. XXV.); ut data sub hypothesi arrha danti restituenda sit, prono sequitur alveo.

Fac igitur neque Cajum centum thaleros additurum, neque Sempronium eosdem remissurum. Vide Schol. ad §. VIII.. Emilio venditio remanet imperfecta: ideoque Sempronia restitutio centum thalerorum arrhae nomine acceptorum incumbit. Caece ceterum confundas hunc easum, cum eo, quem l. ii. §. 9. de A. E. V. ibi enim: *Is qui cina emitit, arrhae nomine certam summam dedit, postea conuenerat, ut emito irrita fieret: Julianus ex emito agi posse ait, ut arrha restituatur.* VRIANVS contractum emitions venditionis perfectum mutuo dissensu dissolutum proponit atque tunc nihil minus actione ex hoc contractu restitutio arrhae datae peri posse adfirmat: qui casus omnino a praesenti differt, quo arrha data contractu imperfecto remanente repeti possit adseritur. Neque est quod idem mutuo dissensu fieri dicamus. Mutius enim dissensus, qui huc spectat, inuoluit contrahentium consensum de dissoluendo contractu atque dissensus solum dicitur respectu consensus, quo mediante contractus ante celebratus, cui quippe opponitur. Quae quidem in praesentem casum cadere nemo dixerit.

§. XXVII.

*Quando-
nam ex ar-
rae vulga-
dam. nisi virus,
cui obligatus alter sit, pactum principale per-*

*Ex arrhae vulgaris datione non nascitur obligatio aut
nam ex arrhae vulgare ad adimplendum pactum principale aut ad arrham perden-
rhae vulgare. nisi virus, cui obligatus alter sit, pactum principale per-*

perficit. Si arrha vulgaris intervenit, pactum principale non omnibus suis numeris absolutum (§. X.): per consequens non nisi pro imperfecto habendum est. (§. I.). Verum, pacto principali imperfecto remanente, nulla autem ad illud adimplendum, aut iacturam arrhae faciendam obligatio est (§. XXV.). Si ergo ex arrhae vulgaris datione dicta obligatio proficiat, perfectum pactum principale reddatur oportet (§. I. Schol.). Fundamentum igitur laudatae obligationis in perfectione pacti principalis adcedente quaerendum omnino est. Quod, quum sibi praeltruat, necesse sit, qui alterum obligatum esse cupit; ex arrhae vulgaris datione non nasci obligationem, aut ad adimplendum pactum principale, aut ad arrhae iacturam faciendam, nisi unus, cui alter obligatus sit, pactum principale perficit, extra dubitationis aleam positum omnino est,

Principium, quod iam demonstratum dedi, quodque palmarium sibi hic vindicat locum, quum insuper usque dum, quantum ego quidem adhuc scio, habitum sit, dici non potest, quantum a rectissimo tramite secesserint arque in deus deflexerint. Ictorum plerique. Quam vero de argumentis in contrarium motis, quantum scopus fert, edisseram, arcem, totius causae inuadere me ante oportet. Hanc vero in pr. I. de emt. vend. atque l. 17. C. de fid. instr. siam esse nemo ignorat. Vterque autem locus dici non potest, quam crucem figat interpretibus. Tentabo, num nondum, quem ali fecerunt, soluere possim. Primum igitur texturn I. adgredior, vbi Tribonianus: *Emissio venditio*, inquit, *contrahitur simul atque de pretio conuenerit, quamvis nondum pretium numeratum sit, ac ne arrha quidem data fuerit.* (Statim enim atque de pretio partes conuenerunt, pro certa re tradenda & emtor quidem ad soluendum pretium, vendor vero ad tradendum fese obstrinxerit, neque etiam contraetus in scriptis celebrandus est, talis consensus adeat, a quo emissio venditio seu contractus consen-

sualis substantiam capit. Quo quidem posito emtio venditio perfecta sit necesse est, (§. I.). Preium numeratum igitur non tam ad perfectionem, quam consummationem emtioneis venditionis spectat. (chol. ad §. I.). Nam quod arrhae nomine datur, argumentum est emtioneis venditionis contractae (termino arrhae hac in propositione obvio eadem respondet notio, quam me arrhae, perfecto pacto, datae tribuere (§. VIII.) memini. Quae quum pactum principale ex omni parte perfectum supponat atque faltim ut de eo evidentius constet detur (§. cit.); nil quicquam ad constituendam contractam perfectionem convertit, adeoque eidem necessaria non est. consequenter emtioneis venditionis saltim est adcidens. Quare emtioneis venditionem perfectam esse licet nulla arrha interuenient manestum est. Non male igitur ad priorem propositionem in fine commatis praecedentis obuiam probandam praeiens adiuncta est, sed hoc quidem de emtioneis venditionibus, quae sine scriptura constitutuunt obtinere oportet: (confer quae ad primam pr. positi. nem commentarium sum nam nihil a nobis in eiusmodi emtioneis & venditionibus innovatum est. (per constitutionem imperatoriam l. 17. C. de fid. instrument.). In iis autem quae scriptura coniunctur, non aliter perfectam esse venditionem constitutimus, nisi & in rume:ta emtioneis fuerint conscripta vel manu propria contrahentium, vel ab alio quidem scripta, a contrahentibus autem subscripta; & si per tabellionem sunt, nisi & completionem adcepint & fuerint partibus absoluta. (Dum enim inter partes conuenit, de emtione in scriptis celebranda, licet rei traddenda preium determinatum sit adeoque hac ex parte iam contractantium consensus adsit; consensus tamen iste non ante effectum sortitur, quam reliqua, quae ex conuentione partium ad substantialia determinatae huius emtioneis venditionis referenda sunt, adcesserunt. Contractum igitur hoc in casu imperfectum & quidem ex conuentione partium talem esse nemo non videt (§. Schol. ad § I.). Si ergo scriptura omnibus suis numeris, quorum mentionem fecit Imperator, absoluta, omnimodo iam partium consensu nihil omnino deest, adeoque de perfectione emtioneis venditionis dubitandum non est.). Donec enim aliquid dwest ex his

his & poenitentias locus est & potest emitor vel venditor sine poena
recedere ab emtione & venditione. (Contractus enim hic, usque
dum scriptura suas adeperit complectiones, imperfectus est (per
dicta ad communem praece). Enimvero contractus imperfectus ita
comparatus est, ut ab eodem recedere integrum sit (§. II.) adeo-
que poenitentiae locus relinquitur. Quumque hic partes nulla ob-
ligatione poenali fidem adstrinxerint, impune quoque poenitere
licet.). Ita (si nimurum emtio venditio, quam in scriptis celebrare,
inter partes conuenit, nondum in scripturam redacta) tamen im-
pune eis recedere concedimus, nisi iam arrbarum nomine aliquid
fuerit datum. (Quum emtio venditio in scriptis celebranda ex
conventione partium eo usque imperfecta sit, quo scriptura suis
patibus absoluta est, (§. I. Schol.) Imperator vero supponat scri-
pturae adhuc aliquid deesse; de arrha, pacto imperfecto, dara
hic iam sermonem esse, luce meridiana clarius est, (§. VIII.).
Hoc enim subsequito (si nimurum arrhae nomina quidquam datum,
impune recedere non licet) sive in scriptis, sive sine scriptis vendi-
tio celebrata est. (Effectus arrhae dationis, ut scilicet impune re-
cedere non licet, iam ad eum etiam casum extenditur, vbi emtio-
ni sine scriptis celebranda, artamen alio ex capite adhuc imperfe-
ctae arrha adcesserit, quum antea solus defectus scripturae perfe-
ctioni contractus obessi proponetur. Verum enim quum
hic arrha imperfecto pacto data necessario intelligi debet, qui
sieri potest, ut ab emtione venditione impune recedi posse negetur,
sive in scriptis sive sine scriptis celebrata? Nonne venditio celebrata
perfecta sit necesse est? Possem suppositionem horum terminorum
impropriam, quod alii huius textus interpretibus solema est, p-
texere. Sed horum sententia iam non vtor, atque propria dictio-
rum terminorum suppositione magis adridet. Vnde omnem rem
sic tene: si emtio venditio imperfecta est, atque arrha interuenit,
obligatio, quae in hoc pr. determinatur, nulla est nisi alter em-
tione venditionem perficiat (§. XXVII.) sed statim atque emtio
venditio perfecta redditia est, non iniuria illa celebrata diciatur:
sive hoc fiat in scriptis, sive sine scriptis, iam non refert. Re-
ste igitur atque adposita satis ab emtione venditione sive in scri-
ptis

ptis, sive sine iis celebrata impune recedi posse negatur, si arrha imperfecto adhuc hoc contractu subsequita sit, is qui recusat adimplere contractum, (Eadem & hic difficultas, quae antea obstat videatur. Si enim quis contractum adimplere debet, quod in eius obligatione est, praestare eidem incumbit, (Schol. ad § I.) do contractus igitur iam perfectus sit, necessaria est (§. I.) qui igitur arrha, pacto imperfecto data suum hic tueri poterit locum? sed salua adhuc res est. Arrha vulgaris, quae hic obvia est, nullius ante efficacie est, quamvis, cui alter obligatus sit, pactum principale, hoc in casu emtionem venditionem perficit (§. XXVII.). Quum vero una pars contractum perficit, altera si sub arrha dispensio placitis state tenetur, necessario sub eadem conditione ad adimplendum contractum obligata dicenda est. (Schol. ad §. I.) Siquidem est emtor, perdit, quod dedit, si vero venditor, duplum restituere compellitur, licet super arrhis nihil expressum est. (Expressio enim eius quod tacite inest nihil operatur. l. 9. de her. inst. frustraque exprimitur, quod tacite subauditur l. 3. C. de jdei-
inst. Aequi facili negotio explicacione l. 17. C. de fid. infra. sequentem in modum defungor: illud etiam adicentes, ut in posterum, si quae arrha super facienda emtione cuiusunque rei date sunt, sive in scriptis sive sine scriptis: (Facienda emtio hic nihil aliud denotat, quam em ipso percienda. Sed emtio percienda denum non est perfecta (§. I. Schol.). Si inter partes conuenit, emtione in scriptis celebrari, ante scripturam absolutam contractum imperfectum esse, supra iam monitum est. Interim non omnis emtio ex hoc saltim capite est imperfecta, potest deesse & aliud substantiale. Recte igitur sese habet Imperatoris hypothesis: Qua data iam adiutatur sequens thesis). Licit non sit specia-
liter adiectum, quid super iisdem arrbis non procedente contractu fieri oporteat, tamen & qui vendere pollicitus est (vendere polliceri arguit pactum de contraheudo, quod in contractibus consensualibus imperfectum est (Schol. ad §. XXI.) venditionem recusans in duplum eas reddere cogatur, & qui encire pactus est, (Confer quae ad praecedens comina commemorata sunt) ab emtione recedens (quo minus iam hanc loquutionem: ab emtione recedere, pariter ac istam:

istam: venditionem recusare de emtione venditione perfecta adci-
pias, vocato in subsidio principio §. praef. demonstrato, nihil
amplius quod obster, reperies, datis a se arrbis eadat repetitione
earum deneganda. Et ita sane constitutio haec Iustiniani, cum
pr. t. de Lmt. Vend. quod ex eadem concinnavit TRIBONIANVS,
ex omni parte confirat: caussaque, nulla verbis eorumque sen-
sus facta vi, extricata videtur. THOMASIVS quidem l. cit.
in explicandis hisce textibus eorumque sensu eruendo longe aliam
ingreditur viam. Quum enim idem ille casum non est dabilem
quo imperfecto pacto arrha cum effectu interuenire possit, ante
quam explicationem adgrediarur, ita calculum ponit. Arrham
nimisimum tradit in securitatem contractus iamiam perfecti dari.
Quae quidem securitas ipsi duplex est, vel plena, vel minus plena.
Plena, si arrha datur, ut non licet planie a contractu recedere,
sed ea saltim aestimetur interesse morae; Minus plena, ut licet
quidem recedere, sed non impune, si videlicet arrha dentur in
totius, ut ita loquar, fidei ruptae aestimatione. Exinde vero
l. c. §. 34. duplcam & diuersum arrhas dandi modi exculpit.
Vel enim dantur, inquit, confirmandi contractus gratia, vbi sci-
licet, id agitur ut arrha perdatur & contractus seruetur, vel in
signum saiton reservatae licentiae poenitendi, sib dispendio arrbarum
aut, si mavis impediendae perfidie gratia. Huic eius hypothesi
seculum dictorum textuum explicatione, qua nescio an illa inao-
rem menti legum vim inferre possit, maxime torta aptare conni-
ditur. In pr. l. d. t. vbi Imperator, a contractu emtioniis, qui
aperte imperfectus supponitur, impune, si nulla arrha interue-
nit, si data, non impune recedendi facultatem concedit, nihil
minus ad verba, ita tamen impune eis recedere comedimus, nisi
iam arrbarum nomine aliquid datum l. c. §. 45. sequentem in mo-
dum commentatur: In emtione sue scriptis post coventionem, in
altera, quae scriptis finit, postquam omnia sunt consummata, nam
ridiculum foret, ut contrahentes antea darent arrham, quae perfe-
ctae emtione arguentum, quamentio fuerit perfecta. Verbis vero
l. 17. C. de fid. in fr. sequentem in modum suam interpretationem
interserit: l. c. §. 48 Illud etiam adilcientes (quia haec tenus aliqui-

de ea re sed absque ratione sufficiente dubitarunt) in posterum, si
quae arrhae super facienda (h. e. consummanda per traditionem &
solutionem) emtione, cuiuscunque rei datae sunt (post contractum
perfectum) sive in scriptis sive sine scriptis (emtio celebrata est) licet
non sit specialiter (per pactum) adiectum (& expressis) quod super
iisdem arrbis (altera parte poenitente & promissionem adimplere
nolente adeoque) non procedente contractu (quoad eius consummationem)
fieri oporteat, tamen (absque illa vteriori dubitatione) &
qui vendere (h. e. tradere) pollicitus est, venditionem (h. e. tra-
ditionem) recusans in duplum eas (quas) ut regulariter fieri solet
ab emtore adecepit) reddere cogatur & qui emere (i. e. preium
determinatum soluere) pactus est (per contractum emtione sive in
scriptis sive sine scriptis celebratum) ab emtione hac (perfecta)
recedens, datis a se arrbis cadat, repetitione earum (ipso) denegan-
da. Peruersam hanc atque a mente FLAVII nostri alienam esse
interpretationem, cordatiorem neminem diffiteri existimo. Quin
ipso THOMASIVS in subsidium saltem, vsque dum de casu,
quo arrha cum effectu, imperfecto negotio, dari possit, possi-
bilitate meliora edocet, violentiam hancce explicationem adoptasse
videtur. In cit. enim diff. ff. 61 igitur, inquit quandiu nullum
casum possibilatis offendunt interpretes, tam diu iure nostro nega-
mus. IUSTINIANVM in d. l. 17. C. de fid. instr. de eo casu intelli-
git posse. Principium autem, quod alioquin suo usu non destituui-
tur, quod nimur: si concurrant duae interpretationes, quarum
una, quae proprietatem verborum sequitur, sententiam absurdam
fouet, altera qua a proprietate verborum recedit, nihil
habet absurdum, posterior priori praferenda sit, in subsidium vo-
catum suppeditatam explicationem a vitio immunem eo minus
praefabit. quo sententiam, quam seruata verborum proprietate
eliciimus, ab absurdo, cuius insimulata, opinor, vindicauerim.
Interim non desciunt, qui eandem THOMASIVI sententiam aut
amplexi sunt postea, aut praeinerint. Inter quos ultimos RVL-
LANDVM LASIVN, HVNNIVM: TREVILERVM, BRVN-
NEMANNVM &c. ipse collocat THOMASIVS l. c. ff. 55. LAV.
TEREACHIVS quidem aliique, qui eidem adstipulantur, non
negant,

negant, arrham imperfecto adhuc negotio principali, interuenire sole. Verum non tantum nunquam, quantum scio, distinete pacti arrhalis indolem evoluunt; verum etiam non sine impropria terminorum suppositione, utriusque nexus interpretatione defunguntur. Quia LAYTERBACHIVS ipsum adfertum *s. praes.* adstructum sine quo tamen LL. vix ac ne vix quidem sanum recipiunt sensum, non adendisse saltem. si non in dubium vocasse videatur. Sic enim ille *l. c. tb. 104.* in casu, quo arrha imperfecto pacto, data: *Nam ad hoc, inquit, v poena arrhalis locum habeat, non requiritur, ut contractus suam vim adcepit & ex eis partes ius agendi adquisuerint.* Dijunctione arrhae in vulgarem & non-vulgarem iamiam penitrita, altera qua eadem in reciprociam & non reciprociam abire supra dicta est, ad principia usque dum stabilita exigenda venit. Res autem, quae arrhae reciprocae nomine interuenient, vel fungibles sunt. vel minus: si illud vel eiusdem qualitatis sunt vel diuersae: si eiusdem; vel eiusdem simili sunt quantitatis, vel minus.

§. XXVIII.

*Si arrhae reciprocae nomine res fungibilis eiusdem An arrhae-
qualitatis atque quantitatis utrinque interuenit, arrha reciprocata in
proca nulla est.* Si enim res fungibilis eiusdem qualitatis
atque quantitatis arrhae reciprocae nomine datur, tantam
vraque pars rem fungibilem dicti surfuris dat, quantum
quidem ex eadem causa adcepit (*§. XII.*). Enimvero in
rebus fungibilibus eiusdem qualitatis tantumdem idem est.
Eandem igitur, quam dedit, vraque pars recipit. Nulla
adeoque juris sensu datio interuenisse intelligitur (*§. VII.*)
sed nulla datione obvia pactum arrhale, quod hoc in casu
duplex est (*§. XII.*) re non initur (*§. XVIII.*): Quod
quum sit absurdum (*§. XIX.*): si arrhae reciprocae nomi-
ne res fungibilis eiusdem qualitatis atque quantitatis utrin-
que interueniat, arrha reciproca nulla est.

D 2

vide

*re fungibili
eiusdem
qualitatis
& quanti-
tatis con-
fere possit?*

Vide sis l. ss. de solut. Eadem mecum sentientes CVMAN. arque qui inter Italos ICros eminet, AL CIAT V M refert SANCHE- z I V S de Sanct. matr. sacram L I. Disp. XXXVI. n. 14. Nec aliena ab assertis sunt, quae THOMASIVS l. supra cit. ss. XXX. sequen- tem in modum tradit: Ut vterque arrhas deo consuetum haud est. neque natura negotii patitur, si certa pecuniae summa loco arrhae detur. Res interea, faror, difficultate non carer, quam tamen, quo animo mecum paulo curatus volutem atque penitus inspici- am, temporis, quod mihi praeripitur, ratio vetat.

§. XXIX.

Si res fungibilis eiusdem qualitatis sed diuersae quantitatis arrha reciprocæ nomine datur, maior ab una parte, quidem ab altera detur, necesse est (§. XII.). Quatenus igitur haecce arrha illam superat, ea- tenus datio utique interueniente dicenda est. (Demonstr. ad §. praecl. §. VII.). Si ergo res fungibilis eiusdem quidem qualitatis sed diuersae quantitatis arrha reciprocæ nomine data fuerit, arrha ab una parte data in quantum alteram superat validam est. Quo pactum autem arrham, quae vali- da, reciprocam esse recte negamus. (§. XIII.).

§. XXX.

Si alia res, quam quae fungibilis eiusdem qualitatis, arrha reciproca nec inua- lida nec inutilis est. Si enim res arrhae reciprocae nomi- ne datae aliae res, quam quidem fungibles eiusdem qua- litatis, tum illa res aut est fungibilis sed diuersae qualitatis, aut non fungibilis (Schol. ad §. XXVII.). Quum in utroque casu neutriquam tantundem pro eodem reputandum sit (De- monstr. ad §. XXVIII.): perinde esse ac si nulla datio inter- uenisset, nemo sanus sane dixerit. Ratio igitur cessat, quae adducta in demonstratione citat. §phi XXVIII. Quum di- spen-

spendium in arrhae reciproca datione duplex determinetur
 (§. XII.) reciproca arrha maioris omnino efficaciae est. Quare
 quem eidem rei aliunde nihil obster; si arrha reciproca
 in alia quadam, quam fungibili re eiusdem qualitatis con-
 sistit, nec inualidam eam, neque inutilem esse liquet.

Sic sine contradictionis nota Sempronio Caius arrhae nomi-
 ne horologium portatile, Sempronius vero Caio in eadem caussam
 annulum dare poterit. Interim circa hanc quaestione, vtrum
 arrhae reciprocae locus esse possit, mirum in modum DD. digla-
 diantur. Non desunt, qui omnem reciprocam arrhae dationem
 inutilem esse & ipso iure nullum indistincte tradunt. Quin eius-
 modi sententia ceu verior in mentem cuiuslibet discreti hominis ca-
 dere debere, *Paulo de CASTRO ad l. 134. de V. O. visum est.*
 Dantur, qui inter qualitatem & quantitatem rei reciprocae arrhae
 nomine datae distinguunt. Vide Schol. ad §. XXVIII: Sunt de-
 nique qui nulla adultera distinctione arrham, reciproce datum iu-
 re validam pronunciant. Nec mouent, qui ita calculum ponunt:
 quiequid sit extra casus *l. 5. C. de spons.* illud est ipso iure nullum
 (per cit. I). Atqui reciproca arrhae datio est extra casus d. l E.
 est ipso iure nulla. Quotus enim quisque est, qui hancē argu-
 mentacionem malae intellectae dictæ legi suos natales decere, non
 videt?

§. XXXI.

*Pactum arrhale est pactum iuris, quod dans obligatus Pactum ar-
 in re arrhae nomine data habet, translatiuum. Pacto ar-
 rhali initio res a dante obligato eum in finem traditur, vt,
 nisi placitis stet, dispendum eiusdem incurrat (§. XV.
 VIII.). Sed dispendum hocce locum sibi vindicari ne-
 quit, nisi iura iacturam facientis in illa re transferantur.
 Pactum arrhale igitur pactum iuri danti obligato in re ar-
 rhæ nomine data competentis translatiuum est.*

D 3

Quod

◎ ◎ ◎

Quod quo rectius intelligas, notes velim pactum hocce iuris translatiuum translationem eiusdem nude possibilem arguere.

§. XXII.

Dominii translati- um. Si igitur res, quae in dominio dantis obligati est, quantum talis est, arrhae nomine interueniat; quin *pactum arrhale dominii translatiuum sit*, nullus equidem dubito (§. XXXI.).

§. XXXIII.

Conditionis suspen- sione, & resolu- tione quid? quan- do ex tunc aut ex nunc? Euentus ille incertus, a cuius existentia determinatio quaedam existentiae qualitatis moralis i. e. juris atque obligationis dependet, *conditionis* nomine insignitur. Quae quidem vel iuris obligationis initum ponit, vel finem. Si illud, *conditio suspensio*; si hoc *resolutio* audit. Vid *Illiustissimi, Potentissimi Borussiae Regis Migno Cancellarii L. B. a. COCC E II Ius Controu. Cu. L. XVIII. T. II. Q. I.* Quae quidem *conditio resolutio* vel *ex tunc* vel *ex nunc* talis est, prout ius atque obligatio vel ita refoluitur ac si contracta non fuisset, vel minus.

§. XXXIV.

Vtramque pactum arrhale admissum. *Pactum arrhale sub conditione tam suspensio, quam resolutio celebrari potest.* Pactum enim arrhale, si quod celebratur, eum in finem initur, ut vel placitis parti principalis stetur, vel dispendium arrhae obtineat (§. XV. VIII.). Si ergo placitis non statur (§. XXIII. XXVII.), dispendio arrhae locus est: si a placitis parti principalis pars non resilit, non est, quod dispendium arrhae subeat. Prior igitur in casu translatio iuris in re arrhae nomine data sub ea conditione, procedit, si placitis parti principalis, non stetur (§. XXXI. XXXIII.). Quae quidem conditio, quum initium iuris translati, salvo parti arrhalis

lis fine, determinare possit (§. XV. VIII.); pactum arrhae sub conditione suspensuia celebrari posse, manifesta ratio suadet. Posteriori vero casu dispendium arrhae datae locum non habet, sub ea conditione, si alter a placitis non recedit (§. XXXIII.). Quo quidem casu aut ius in re arrhae nomine data iam dum a dante obligato in adcientem translatum est, quod equidem sine contradicitionis nota sumitur (§. XXXI.), vel minus. Illud si obtinet, dicta conditio finem iuris translati determinans, resolutiva est (§. XXXIII.). Conditionem igitur resolutiam pacto arrhalii inesse posse, extra dubitationis aleam vindicatum existimo.

Quamvis igitur, quod euictum dedi, pactum arrhale vtramque conditionem non respuat; tamen ambabus communis doctrinae, do atque largior, arrha simpliciter data, positis nimis terminis, quod aiunt, habilibus, translatum censerit. Quum enim datio in pacto hoc interueniat, quae, nisi negotium, cui adcedit, aliud suadet, quod equidem hoc loco nemo dixerit (§. XXXI.) iuris dominii translationem arguat (§. VII.) l. 75. s. 10. de V. O. s. 14. I. de A. H. conditioni suspensiuae speciatim nisi determinatae locus non relinquitur. Dominii vero translati L A V T E R B A C H I O l. c. th. 91. argumento est, quod ad arrham repetendam non rei vindicatio, quas tamen, si dans dominus esset, omnino competenter. l. 23. pr. de R. V. sed per l. 11. s. 6. de A. E. V. aut actio emti aut condicione sine causa danti in mundo est. Verum frustra sunt, qui ita rationes subducunt. Ne equidem urgeam, unus positionem alterius non esse exclusionem, si verba, quae vocent directa obvia sunt, rei vindicationem non cessare, cui libet obviaria esse sufficit. Sed nonne pacti arrhalis modus, quem volunt, est, ut alter aut pactum principale adimpleat, aut arrhae iacturam faciat? quem tamen hoc maxime in casu a conditionis natura abborrere dicis. Sed res in vado est. Si enim obligatio ex pacto arrhalii resultans disiunctiuia adeoque quoad membra disiuncta

★ ★

Eta sigillatim spectata, inderminata menti tuae obuersatur, concedo sū ad vnum alterumue membrum disiunctum eiusdem obligationis determinate concludas, quem iam conditio, quae inest latet? quod quidem principium generalius esse, quam vt uno tantum hoc casu obincat, nemo non videt.

§. XXXV.

Pactum arrhale vel sub conditione resolutiva vel suspensiva celebratur.

Quam autem conditio suspensiva, oppositum sit conditionis resolutivae (§. XXXIII.); non pactum arrhale simul sub conditione resolutiva & suspensiva celebrari posse, consequens est. Sed ad demonstrationem praecedentis commatis vel leuiter saltim adtendenti plena membrorum enumeratio non obscura erit. Adebat igitur causis, quo propositionem coepitiam negat in affirmantem disiunctuam redigere licet. *Pactum ergo arrhale vel sub conditione resolutiva vel suspensiva initum esse*, manifesti iuris est.

§. XXXVI.

Conditione resolutiva in pacto arrhali ex tunc incepit.

Pacto arrhali qua tali sua conditione resolutiva celebrato conditio resolutiva ex tunc incepit. Si enim pactum arrhale qua tale initum est, is finis pacientium, eaque intentio est. vt, nisi alter obligatus placitis pacti principalis non stat, omne omnino arrhae dispendium exsulet (§. XV. VIII.): ideoque si a placitis idem ille non recepit, arrha data perinde reuocetur, ac si non interuenisset. Si igitur eiusmodi pacti conditio resolutiva adcedat, omnne ius arrhae datione translatum, casu existente resolutur (§. XXXIII.) & ita quidem, ac si translatum non fuisset (*per demonstrato*). Qui quum sit effectus conditionis resolutivae ex tunc talis (§. XXXIII.): pacto arrhali qua tali sub conditione resolutiva celebrato conditionem ex tunc resolutiuam inesse palam est.

Idem

Idem in casu haud assimili additio*nimirum* in diem obtine-re non incogniti iuris est.

§. XXXVII.

Pacto arrhali sub conditione suspensiua celebrato, con-ditione exsistente, fructus, si qui, pendente ea, percepti dente condi-funt, danti adcipiens restituere tenetur. Conditionis enim *tione suspen-suspensiuae arrhali pacto adiectae existentia initium iuris arrhae datione translati determinat (§. XXXIII.). Ante ergo quam conditio ista exsistit, nullum ius translatum censetur. Quare quum sine eiusmodi iuris translatione fructus, si qui sunt, sibi percipere non possit; quin pacto arrhali sub conditione suspensiua celebrato, conditione ex-sistente fructus perceptos danti adcipiens restituere tenea-tur, dubitandum non est.*

Eadem argumento leg. 4. pr. de in diem addic. quo minus inferam, nihil impedit. Reliquum iam est, ut quid circa fructus, conditione resolutiua obvia, perceptos iuslant est, disquiram. Qua-re varii sequentes a se inuicem separandi sunt casus: Nimirum conditio resolutiua vel adhuc pender vel minus: atque si hoc est, vel exsistit vel minus.

§. XXXVIII.

Si pacto arrhali conditio resolutiua ineſt, si conditio adhuc pendet, fructus, si qui sunt, iure ab adcipiente per-cipiuntur, sed reuocabili saltē: si conditio resolutiua deficit, fructus pendente conditione perceptos cum re iari irrevocabili iure possidet: si denique conditio resolutiua exſſit, rem cum omnibus fructibus perceptis restituere tenetur adcipiens. Si enim pactum arrhale sub conditione resolutiua celebra-tum, ius in re arrhae nomine data statim transfertur (§. XXXIII.). Quam ob rem, quum vi huius iuris fructus, si qui sunt, percipientur, conditio vero resolutiua, dum

E

pen-

pendet (per hypoth.) aequē existere atque deficere queat; adcipientem, si pactum arrhale sub conditione resolutiuā initum, eademque adhuc pendet, fructus ex re arrhae nomine adceptae iure tantum reuocabili percipere in aprico est. (§. XXXV.). Si vero conditio resolutiuā, sub qua pactum initum, deficit, conditionem resolutiuām nunquam existere certū est. Sed si conditio resolutiuā nunquam existit, ius in re arrhae nomine data translatum per eandem nunquam resoluitur. (§. XXXIII.). Quare neque rem, neque fructus, quas vi huius iuris translati percepit, vlo ynquam tempore adcipiens restituere tenetur. Quos igitur fructus, quamquā rem reuocabili ante iure habuit, conditione resolutiuā deficiente iam irreuocabili iure possidere incipit. Si denique conditio resolutiuā existit, ius quod arrhae datione translatum sit, extunc resoluitur (§. XXXV.). Quare quum res in eum statum redigatur, ac si nullum ius translatum fuisset (§. XXXIII.). Et rem & fructus conditione resolutiuā existente, accipientem restituere teneri, palam est.

Eiusdem sane in casu additionis in diem, tenoris funt, quae ex IVLIANO lib. 48. digestorum l. 6. pr. de add. in diem. arque ab Imperatore SEVERO rescripta refert VITIANVS l. 16. eodem. Ceterum, quandonam, si arrha in pecunia numerata consistit, in pretium imputari queat, ad intelligendum facile est.

§. XXXIX.

Quis periculum in re arrhae nomine data contingentem iustum sit? To-
ne data con-
tingens fe-
rat?
Si pactum arrhale dominii translatuum sub conditio-
nium in re arrhae nomine data contingentem iustum sit? To-
ta vero res huc credit, ut utrum arrhae nomine quantitas
data fuerit, nec ne, distinguamus; Quum quantitas pe-
rire non censeatur l. u. C. si cert. pet. rei adceptae interitus
obli-

obligationem nil quicquam mutat, si in quantitate consistit.
 Sin res data in quantitate non consistit, quum casum dominus sustineat l. 9. C. de pign. act. Adcipiens vero data sub hypothesi dominus sit (§. XXXIII. XXXIV.); *si conditio resolutiva deficit, periculum nocet adcipienti.* Sin conditio existat, quum iam danti data res restituenda sit, adeoque adcipiens specie debitor euadat, qui eius casuali interitu liberatur l. 23. de V. O. recte hoc in casu res ei perire dicitur, cui debetur.

§. XL.

*Si pactum arrhale celebratur idque agitur, ut domini- In pacto ar-
 um transferatur, res aliena arrhae nomine interuenire ne- rhali domi-
 quit. Pactum arrhale substantiam suam capit ab imple- nii transla-
 mento ex vna parte accidente (§. XIX.). Idque praete- tiuores alic-
 rea agitur, vt dominium sub conditione tamen transfera- na interue-
 tur (per hyp.). Sed in negotiis dominii translatiuis ab im- nire negquit.
 plemento vnius partis substantiam capientibus, rei aliena-
 nae datio non sufficit. Pacto ergo arrhali data sub hy-
 pothesi celebrato, ratio, quare arrhae nomine res aliena
 interuenire nequeat, in aprico est.*

Si qui sunt, qui circa demonstrationem principiumque funda-
 menti loco adsumptum haerent, iis ut canonem in iure tritissimum
 rem alienam vendi posse, non vero permutari l. 1. §. 3. de rer.
 perm. (Confer sis Perilli fr. Cancell. BÖHMER. Introd. in
Instdig. t. de rer. perm. §. 5.) in memoriam reuocent, auctor
 suasorque extiterim, PEDIUS sane referente PAVLO l. c. ex §. 2.
 eodem, eodem ex principio eundem inferre non dubitat. THO-
 MASIVS equidem in Schol ad Huber. Prael. t. de rer. perm n. 3.
 propter l. 4. §. 17. de Visc. & l. 1. C. de rer. perm. regulam sub-
 ministratam impugnat, citataeque legi l. §. 3. eodem, tum de-
 mun locum relinquit, si is, qui primus cepit contractum adim-
 plere rem alienam dederit & adcipiens antequam & ipse adim-
 pleat,

pleat, hoc restiscat. Verum si adcuriori mentis lance omnem rem trutinemus atque perpendamus, permutationem non modo, si res aliena data fuerit, adcipiens vero vicissim ex sua parte rem promissam tradiderit propriam, non quidem priori dationi, quippe qua implementum suis numeris non absolvitur, sed posteriori suam acceptam terre perfectionem: Verum etiam abusue interdum pro pacto de permutando sumi, in cuius conventionis quippe terminis nudis subficit, quandoquidem nulla, quam quidem aliena res permutandi causa data fuerit; expeditissima sane ill. citat. obvia est conciliatio, lisque, quae, si qua alias, logomachiam redolet, facillimo negotio componitur. Sed ut e diuerticulo in viam redux sim, arrham interuentu rei alienae non vitari, siquidem tam ratione probacionis, dicunt, quam conditionis usucandi praescribeantur translate, ad instar rei alienae solutae, in dotem datae, donatae &c. effectum obtinere possit, communiorum DD. calculum obtinuisse dissimulare nequeo. Verum superiora dixisse, iam est refutatio. Quum autem moribus differimus inter conventiones re ineundas & reliquias quoad effectum producendi actiones omnino cesseret, pactumque adeo arrhale validum sit, si vel maxime implementum nondum adcesserit (§. XXI.); quare res arrhae nomine data debeat esse propria, ratio cessat.

§. XLI.

*Ad quid ad-
cipiens te-
neatur?*

*Adcipiens ex pacto arrhali obligatus, si a placitis resi-
lire vult, cum re arrhae nomine accepta tantumdem saltem
restituere tenetur. Adcipiens enim ex pacto arrhali obli-
gatus si placitis pacti principalis non stat, arrhae dispen-
dium subire tenetur (§. VIII.). Quam ob rem quum
qui arrhae dispendium incurtere debet, aut rem datam
perdere, aut tantumdem cum accepta restituere tenetur;
Prius vero dantis obligati, non vero adcipientis sit; adci-
pientem ex pacto arrhali obligatum, si a placitis resilire
vult, cum re arrhae nomine accepta tantumdem resti-
tueri teneri liquido adparet.*

Con-

Confer sis l. 5. C. de Spons. Atque ita simul adparet, parem hac in re dantis atque adcipientis, si nominatim de hac re inter pacientes nihil cautum l. c., esse conditionem, atque dupli restitutionem, cuius passim in ll. mentio fit, l. 17. C. de fid. instr. pr. I. de emt. vend. cit. l. 5. C. de Spons. ipsam rem adcepit etiam continere. Neque minus ex negotio arrhalii virtumque ius & in re adcipienti competens & ad rem danti proprium locum sibi posse vindicare in aprico est. Quod reliquum est multa sane nec notata indigna de virtusque pacientium iuribus arque obligationibus ex arrhae datione resultantibus, nisi temporis habenda foret ratio, haberem, quae adhuc commemorare possem. Quum autem ex hoc usque euolutis satis abundeque constet, arrhae vulgaris dationem nil quicquam absurdum inuoluere, atque praeципua jura obligationesue eandem resipientia demonstrata dederim, paucis in praesentiarium de actionibus ex arrhae datione oriundis restat disquirere.

§. XLII.

Ex pacto arrhalii conditio ex lege institui potest. Si enim obligatio ex lege noua introducta sit, nec cautum eadem lege quo genere actionis experiamur, ex lege agendum est. l. vni. de cond. ex leg. Quum igitur pactum arrhalie sit am obligacionem, quam producit, nouae legi acceptam ferat (§. XVII.); neque etiam nominatim cautum sit, qua actione experindendum p. I. de emt. vend. l. 17. C. de fid. instr.; Consequens est, ut ex pacto arrhalii conditio ex lege instituenda sit.

Pactum arrhalie conditio ex lege producitur.

Idem adserentem vide PERETIVM Pracl. in C. ad t. de fid. instrum. n. 12. vbi: Porro instrumento nondum perfecto poenitentiae locus est & nullum parti ex eo ius adquiritur. Arrhae tamen, si quae intercesserint, possessoris lucro cedunt, eo, qui dedit, poenitente: eo vero, qui adcepit a contradicte recedente duplicitate restituantur arrhae, quia graue fidem fallere, & si eas reuaserit: camenui-
tur conditio ex lege.

E 3

§. XLIII.

*Ad quid
tendat?*

Quae conditio vbi ex pacto arruali instituitur, refert, vrum pactum principale adimpletum sit, nec ne: Si prius, simpliciter ad restituendam rem arrhae nomine datam actio dirigenda est (§. XXXVIII.); sin posterius, vindendum, vrum pactum principale perfecerunt, nec ne: Priori in casu perficiens, si dedit, contra adcipientem obligatum disiunctio agit, ut aut pactum principale adimpleat, aut arrham duplicatam restituat (§. XXVII. XLI.). Sin adcepit, dans obligatus vel a placitis resilit, vel minus. Illo in casu intus habet, quod petit; hoc vero casu nulla ipsi competit actio, atque ius retentionis eo usque saltim exercet, quo pactum principale actu adimpletum est. Posteriori vero in casu, a dante simpliciter ad rem arrhae nomine datam recuperandam actio intenditur. (§. XXVI.).

Confer tamen sis, quae in fine Schol. ad §. XXV. notata sunt.

Si pactum principale adimpletum est, aut imperfectum remanet cum condicione ex lege conditio sine causa electio ne concurrit. Si enim pactum principale adimpletum est, aut imperfectum remanet, nulla ratio amplius superest, quare adcipiens arrham retineat potius, quam restituat (§. praec. VIII. XXV.). Quum ergo iam causa cesseret, ob quam arrha data fuerit, quo autem admissa condicione sine causa experiri liceat. l. 1. §. 2. l. 2. de condicione sine causa. Quin conditio sine causa data sub hypothesi locum habeat, non est, quod dubitemus. Enimvero quoniam data sub hypothesi vtraque conditio ad eundem finem tendat, cum condicione ex lege conditionem sine causa.

caussa electiue tantum concurrere, in aprico est. l. 43. §. 1.
de R. I.

§. XLV.

Data arrha vulgaris atque contractu principali b. f. postmodum perfecto actione ex istiusmodi contractu ad obligatio[n]em arrhalem praestandam cum reliquis electiue experientia[re] integrum est. Contractus enim principalis, vbi arrha vulgaris interuenit, b. f. postmodum redditus perfectus actionem b. f. producit (§. X. I.). Enimvero actiones ex b. f. contractu resultans non modo ad obligationes principales, sed etiam ad id quod propter huncce contractum iuris aequitatisque est, tendunt. l. 31. §. 20 de Aed Edict. Quare ex istiusmodi contractu ad obligationem arrhalem praestandam data sub hypothesi resultans actio cum reliquis electiue intendi non repugnat (pr. Demonstr. ad §. praec.).

Atque ita explicare s. n. ff. 6. de A. E. V. nullus equidem haec
REO: ULPIANVS. Is, inquit, qui vina emit arrhae nomine certam summam dedit; postea conuerterat, ut entio iurita fieret; IVLIANVS ex emto agi posse ait, ut arrha restituatur: vtilem que esse actionem ex emto etiam ad distrabendam, inquit, emtionem. Ego illud quero, si annulus datus sit arrhae nomine & sequita emtione pretioq[ue] numerato & tradita re, annulus non reddatur, qua actione agendum est: utrum condiatur, quasi ob caussam datus sit & caussa finita sit; an vero ex emto agendum sit? & Iulianus dicere ex emto agi posse: certe etiam condici poterit, quia iam fine caussa apud venditorem est annulus. Quum arrha ante sequentiam emti neta data proponatur, deinceps vero pretium numeratum, arque res tradita supponatur; emtioni contractus tempore dationis adhuc imperfectus, postmodum vero non tantum perfectus, verum etiam adimpletus proponitur. (Schol. ad §. I.). Iam vero quum hoc in casu actio emti pariter arque condicio fine
caussa

causa ad recuperandam rem arrhae nomine datam obtineat, neque ciusmodi actiones ex notione emtionis venditionis deductae; quare propositiones (§. praec. & praef.) obuias generatim adstruxerim, ratio manifesta est. Neque mouent; quae THOMASIVS. l.e. §. XLVI. pro explicanda hacce lege suis conuenienter principiis adulit. Impropria enim eiusdem suppositio iam supra profigata, atque propria ab absurdio vindicata est. Sicut autem quod euoluta docent, ardua atque multis tricis inuoluta est doctrina de arrha, contractu imperfecto, data, ita, quae contractu iamiam perfecto datam arrham respicit: si de effectu arrhae quaeritur, non minoris est ponderis. Quam, volente DEO, alii tempori feruare mecum constitui.

T A N T U M.



CLA-

CLARISSIMO CANDIDATO

S. P. D.

IVSTVS HENNINGIVS BÖHMER IC.

Si ex annorum numero eruditio in Academiis acquisita aestimanda est. **T**V in primis, **CANDIDATE DOCTISSIME**, inter eruditos prae ceteris numerandus es, qui quinquennium, quo cursum studiorum academicorum clauserat **IVSTINIANVS**, non tantum absoluisti, sed iam dudum, per annum & quod excurrit, superasti. Adeo enim olim in hac duratione annorumque decursu omnem collocabant fiduciam, ut eum deum solidam imbutum doctrinam, dignumque crederent, quem ad supremos in iure gradus admitterent, nec Camera imperii publico quinquennii testimonio destitutos in suum reciperet consortium. Tandem vero publicis imperii comitiis seculi superioris lubrico huic doctrinarum

F

fun.

fundamento dicam scripserunt imperator statusque imperii, atque argumenta habilitatis aliunda petenda esse recte existimarentur. Eadem TIBI quoque stat sententia, CANDIDATE DOCTISSIME, nec inani gloria quinquennii fretus iam ascendis cathedram, sed solidiori scientiarum variarum praesidio munitus in publicum prodis. Ita enim tempus in Academiis transegisti, ut iuri ciuili quidem strenuam nauares operam, simul tamen, rationibus recte subductis constitueres, scientiam iuris sine philosophiae humaniorumque in primis litterarum subsidio frigere adeoque igni mentis TVAE haec quoque danda esse nutrimenta. Qua de causa non potuisti non egregium studiorum experimentum in ipsis examinibus, a candidatis subeundis, nobis exhibere atque ordinis nostri vnanime ferre suffragium, TIBI ad honores Academicos capessendos nihil deesse. Quod ut mihi admodum incundum, reipublicae vero literariae salutare; ita meum quoque fuit, hos praeclaros profectus TIBI gratulari, & quaevis fausta apprecari. Dab. e museo d. XXVII. Sept. MDCCXLVII.

PRAE-

PRAESTANTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

S. D.

CAROLVS GOTTLIEB KNORRE ICTVS

POTENTISS. PRVSS. REGI A CONSILIIS AVLICIS

ET PROFESSOR IURIS ORDINARIVS IN REGIA FRIDERICIANA.

Circumactum est sexennium, & quod excurrit, cum in Regia Fridericiana elegantioribus litteris & iuris prudentiae studio operam dñe coepisti. Ab hoc tempore in id strenue elaborasti, ut rerum diuinarum & humana-
rum accuratissimam peritiam **TIBI** comparares, pro-
be gnarus, ICtum legum & consuetudinum earum, qui-
bus priuati vtuntur, & ad respondendum, & ad agendum,
& ad cauendum peritum esse debere a). Quid enim so-
lidi ab iis exspectari potest, qui, vix delibatis legum
praeceptis, cruda adhuc studia in forum impellunt, &
de iure respondentis, cauſasque orantes adolescentian-
tur? Fertur quidem **NERVA** filius octodecennis b) &
CELSVS adolescens c) de iure responsitasse, sed derisus

F 2 etiam

a) CICERO L. I. dr. Orat. C. 48.

b) l. s. 2. D. de Poſtul.

c) l. s. 3. de V. O.

etiam fuit Nertia, qui per fenestram monstrauerat seruos detentos ob pensionem, liberari posse d). Et si etiam quandoque felices totus ediderit praecox iuris cognitio; tamen rei publicae ieteresse crediderunt Romani, ne iuris studia deproperarent adolescentes, sed per triennium audiendis professoribus & perlegendis 1Corum libris operam collocarent & quarto demum anno constitutiones imperatorias legerent e). Sed Iustinianus quinquennium praescripsit iurum studiosis certumque cuique anno pensionem adsignauit iuslisque, ut quinto anno constitutionum codicem tam legere, quam subtiliter intelligere studeantf). Tametsi vero alia hodie sit ratio iura docendi, tamen

d) I. g. D. In quib. cauß pign. vel hypoth.

e) TRIBONIANVS Prooem Inst. §. 3. vix post quadriennium prioribus contigisse scribit, ut constitutiones imperatorias legerent. Cum itaque THEOPHILVS triennium nominet, aut corruptos esse omnes THEOPHILI codices; aut errasse ipsum THEOPHILVM contendit FAEROTVS idque probari existimat ex IUSTINIANI Constitut. ad Antecess. §. 1. Sed saltem trium annorum meminit Imperator, &, postquam pensa cuique anno adsignata enarrasset, expressis verbis addit: Et hinc erat IN, non POST, quartum annum omnis antiquae prudentiae finis. Ex quo sole meridiano clarius patet, confessis penis singulis tribus prioribus annis adsignatis, quartum annum destinarum fuisse legendis & intelligendis diualibus constitutionibus. Vnde procul dubio recte rationes subduxit V. C. SCHWARTZIVS in Schol. Philog. ad Prooem. I. n. 40. quod vel auctor prooemii, pro sua rerum exaggerandarum conseruidine, quadriennium pro triennio posuerit, vel omnes libri latinarum Institutionum Iustiniani hac ex parte adhuc in mendo cubent.

f) cit. Conf. ad Antecess. §. 2. 3. 4. & §. DE LVEWIG Vita Iustin. C. VIII. §. 49.

quinquennii illius usum in eo esse volunt, ut nemo summos in iure honores capessere possit, nihil quinquennium integrum compleuerit. Quod etiam probant priuilegia & statuta Academiarum, quae laudat adducitque **I T T E R V S g.** Quid quod in concilio Basileensi **b)** cautum fuerit, ne, ante studium legum impenitum per **quinquen-**
nium in aliqua nominata Academia, quispiam baccalaureus legum vel iuris caesarei, vel pontificii crearetur, vel nominationes obtineat, exceptis filiis natis ex utroque pa-
 rente nobili, quibus sufficit **triennium**. Idem in Gallia sancitum est constitutione **L V D O V I C I X I I .** anno
C I O C I X I I . **i)** Sed vix triennium transi in Academias queritur **C V I A C I V k)** & **M E R I L L I V S** Oratione de tem-
 pore in studiis iuris prorogando **l)** in eos inuehitur, qui imprudentia festinatione ad supremos in iure honores con-
 tendunt. Vnde teste **M E N A G I O m)** principis decreto &
 consulo senatus statutum fuit, ne quis in posterum ad Li-
 centiacus gradum peruenire possit, nisi qui annum inte-
 grum in academia celebri iuris studio posuerit. Licer
 vero vix insula dignus sit vii anni candidatus, Iustinianus nouus; tamen non ad numerum annorum sed indu-
 striam, eruditio nem legumque Scientiam in iurium candi-
 didatis respiciendum esse existimo. In quo sumi eo fi-
 dentior, cum quoad ipsos Camerae Imperialis Assessores

F 3

Re-

g) de Honorib. Academ. C. VII. ff. 45.

b) A. C I O C C C X X X V I I I . f. 31. ff. Videlicet, de Collat.

i) THOLOSANVS Synt. Iuris Uniuers. L. XLIX. C. 6. n. 20. MÜL-
 LER diff de Quinquennio iuris C. I. ff. 1. seq.

k) L. XII. Obf. 40.

l) Opp. P. I. in f. p. 43. seq.

m) Epistol. ad N V E L A E V M Amoenit. Iur. Civil. praece.

Recessu Imperii nouissimo n^o) cautum sit, daß nicht so stark auf das studium iuridicum quinquennale auf Teutschen Vniuersitäten, sondern auf die Qualitäten, Geschicklichkeit und Experientz gesehen werden solle.

Sed TV, CANDIDATE PRAESTANTISSIME, non opus habes, vt in TVI gratiam aliquid laxetur ex iuris rigore. Vix enim triennalis studiosus academicus doctissimis lucubrationibus in lucem emissis TE talem esse ostendisti,

Qui iuris nodos legumque acnigmata soluat.

Quem Iustinianus LYTA M nominari voluit. Placuit autem TIBI & PROLYTAE mereri nomen atque honorem, antequam insulam doctoralē ab ordine Iureconsultorum in illustri hac Fridericiana expeteres. Legitimo itaque tempore effluxo obtulisti inclito ordini preces TVAS. Qui annuit precibus TIBIQUE diem dixit ad subeunda examina, quae statuta a iurium candidatis requirunt. In quibus omnium exspectationi satisfecisti TEQUE solida iurisdiuini humanique cognitione imbutum esse demonstrasti. Qua etiam de causa indulxit TIBI inclitus Ordo, vt specimen inaugurale marte TVO scriptum elaboratumque, sine PRAESIDE, solus contra Opponentium tela defenderes. Ego TIBI eximios in vtroque iure profectus ex animo gratulor totoque pectori exopto, vt TIBI omnia cedant feliciter. Vale mihiq[ue], quod facis, faue. Dabam in Fridericiana VI. Kalend. Octobr. CICIDCCXXXVII.

n^o) de anno CICIDCLIV. f. 28. Ordinatione enim Camerali d. a. CICIDCLV. P. I. §. 2. sanctum erat, vt nemo ad dignitatem assessoris admitteretur, nisi per quinquennium Iurisprudentiae studio incubuerit.


ULB Halle
002 729 385

3



vDn8

Sk



B.I.G.

Black

ARRHA,

22

38

DE

ARRHA,
PACTO IMPERFECTO,
DATA

INDVLTV

ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS

PRO

GRADV DOCTORIS

AD DIEM XXX. SEPTEMBR. MDCCXLVII.

DISSERET

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

IOANNES HARTWICH REVTER,

MEGAPOLITANVS.



HALAE MAGDEBURG. FORMIS HENDELIANIS.

6)

Farbkarte #13

